

Azarias Sturtz Johannes Scutenius

Disputatio De Privatis Delictis

Rostochii: Praelo Reusneriano, 1609

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn72866965X>

Druck Freier  Zugang



RU jurist. 1. Nov. 1609

Sturcio, Azaria /b

14

54
F

Disputatio
 DE
PRIVATIS
 DELICTIS.

Quam

D. O. M. A.

*Authoritate & consensu Amplissima facultatis Juri-
 dice in alma Rosarum Academia.*


PRÆSIDE

Viro Nobili & Clarissimo,
 Dn. AZARIA STURCIO C. F.
 J. U. DOCT.

Publicè discutiendam proponit


JOHANNES SCUTENIUS Hadel, S.

Habebitur disputatio 1. Novembr. in Auditorio
 magno, initio ad horam 7. matutinam facta.



I. D. 223. 26.

ROSTOCHII
 Prælo Reusneriano, ANNO MDCLX.





POSITIO I.



VM MORTALIVM DELICTA

non proveniant ex divina quadam prædeterminatione, aut fatali necessitate; sed ex libero eorum arbitrio, & pessimis carnis concupiscentiis: rectè Magistratus politicus graviter in eos animadvertit, qui suis maleficiis benè constitutam Rempubl. turbant, turbatam interdum funditus evertunt.

2. Quod ut legitimè fiat, hominibus regendis præpositis perutilis erit & necessaria cognitio delictorum, ut pro eorum qualitate fontes punire, & bonos aptè defendere queant.

3. Tum demum n. bonus Magistratus probè functus esse suo munere censetur, si non tantum inserviat communi utilitati sed diligenter etiam circumspiciat, Ne cui noceatur.

4. Hinc non minus gratas quàm utiles fore speramus SS. LL. Studiosis, has nostras, quas de Privatis Delictis discutendas proponimus adserciones.

5. Definimus autem privata delicta; Delicta ex quibus prodita sunt forenses & privata actiones, nec publicè legibus vindicantur. Eodemq̃ sensu dicuntur Maleficia & Noxæ.

6. Agitur ex eis tam civiliter quàm criminaliter, & quandoq̃ in uno libello, licet utrumq̃ judicium non æquè principaliter intentetur.

7. Actiones tamen pœnales adversus heredes & cæteros successores non competunt, nisi lis cum defuncto fuerit contestata, cum rei persecutorie adversus hosce semper competant.

8. Horum privatorum delictorum quatuor præcipuè sunt species: Furtum, Rapina, Damnum injuriâ datum, Injuria.

A 2

6. Fur.

privatorum delictorum
4. præcipuè sunt species

Definitio furti. 9. Furtum rectè definitur, quod sit contrectatio fraudulosa rei alienae.

10. Derivarunt hoc nonnulli à furto, nonnulli à fraude, nos domini & Pégerv dictum existimamus.

11. Quin a. furtum, tam juri naturali, quam divino sit contrarium, nullum est dubium, unde & famus tempore nemini furari licebit, cum nulla necessitas resolvat jus naturæ.

12. Committere furtum tantum possunt, quicumq; doli sunt capaces. Furiosi ergò, infantes, & impuberes eius rei nunquam existunt.

13. Delicta enim non tam ex ipso facto, quam ex animo facientis dijudicantur; unde qui rem alterius, quem putabat esse mortuum, tanquam heres apprehendit, furtum non committit.

14. Nec etiam, qui rem alienam surripuit, quam suam esse existimabat, aut se non invito domino id facere, furti rectè accusatur.

15. Qui tamen consentiente Domino rem alienam contrectat, cum putabat se eo invito illud facere, furtum commississe rectè dicitur.

16. Ast qui joco & animo restituendi rem alicui abstulit, licet facultas restituendi deinde deperiat, furtum non commisit.

17. Et hæc queri solet, an filius familias patri, uxor marito, servus Domino furtum facere possint? Et posse verius est, licet contra eos non decur furti actio.

18. Res furto auferuntur tantum mobiles: immobilium rerum, cum nulla sit contrectatio, nullum quoq; est furtum.

19. Rerum incorporalium quandoq; etiam furtum fit, veluti usus rei alicujus, licet contrectari non possint. Fit enim hoc respectu rei corporalis, cui inhaerent.

20. Hinc tabellarius pecuniam sibi annumeratam, in suum usum convertens, furti crimen incurrit, sive ei simpliciter annumerata sit, sive sacculo obsignata.

21. *Proprias res nemo furatur, ut nec res communes, nisi respectu portionis, quæ alteri debetur.*
22. *In rebus Domino carentibus, veluti hereditariis aut pro derelicto habitis, furtum non committitur.*
23. *Res sacras auferens, fur non est, sed sacrilegus.*
24. *Qui rem alienam inventam vero domino non restituit, furtum committit.*
25. *Liberi hominis an furtum fieri possit, valdè ambigitur: nos hoc affirmandum censemus.*
26. *Nec hoc caret difficultate, utrum etiam ob rem minimam, veluti gallinam ablatam, detur actio furci? Nos civiliter agi posse statuimus.*
27. *Solet & hoc loco hæc exagitari quaestio, An qui debitum à suo debitore consequi non potest, furtum committat, si rem æquivalentem ei surripiat? Et committere verius est.*
28. *Forma furci in fraudulosa contrectatione consistit. Nisi enim quis rem attrectaverit, licet animum furandi habuerit, furtum non commisit.*
29. *Contrectatio autem fit, aut verè, aut fictè. Verè, vel amovendo, vel abutendo.*
30. *Amovendo, cum quis rem alienam alicui planè aufert, ut suam faciat.*
31. *Abutendo, cum quis re aliena aliter utitur, quam ipsi fuit permillum.*
32. *Fictè, cum falsus procurator se præsentem pecuniam, quæ indebitè solvitur, alij numerare jubet.*
33. *Ex prædictis apparet, sola cogitatione, vel verbis aut scriptura furtum nunquam fieri, nisi voluntas fraudulosa in actum producat.*
34. *Vnde & hi, qui opem & consilium præstiterunt, cum deum tenentur, eodemq; supplicio afficiuntur, si contrectatio sit subsequuta.*

35. Furum receptatores, licet ipsi quidem rem nullam attulerint, non tamen impunitatem merentur, quin potius eodem supplicio subjacent.
- Finis furti lucrum.* 36. Finis furti est lucrum, quod adeo requiritur, ut nemo furti reus censeatur, qui non habuerit animum lucrandi.
37. Nam qui libidinis causa ancillam surripuit, aut vexationis gratia rem amovit, furti conveniri nequit.
38. Sed quid, si quis eo animo rem abstulerit, ut alteri vicissim donaret? Eum ob spem lucri futuri, furtum commississe, recte dicitur, cum spes lucri sit, beneficij debitorem acquirere.
39. Furcorum duo sunt genera, Manifestum, & nec Manifestum. Manifestum cum fur cum re deprehenditur, antequam ad locum destinatum pervenit.
40. Nec tamen fur Manifestus quis dici potest, nisi videns ipsum ei acclamaverit, aut eum apprehendere conatus fuerit.
41. Nec manifestum contra illud dicitur, quando fur in ipso facto non deprehensus, cum re furtiva destinatum locum attingit.
42. Hic quari solet, num haec furcorum distinctio de jure hodierno adhuc obrineat? Quod verum esse secundum Constitutionem Carolinam putamus.
43. Actiones ex hoc delicto descendentes, aut spectant ad rei persecutionem, aut ad maleficij coercitionem. Prioris generis sunt actio ad exhibendum, Rei vindicatio, Condictio furtiva. Posterioris est actio furti.
44. Liberum ergo est domino rei, experiri hoc vel illo modo, at ubi unam ex rei persecutoris instituit, tollitur altera, scilicet si criminaliter agit.
45. Non tamen cuilibet indistincte haec actiones conceduntur, neq. ad versus quemlibet. Actio n. ad exhibendum, & rei vindicatio, soli domino datur, ejusq. heredibus, non alius, idque ad versus quemlibet possessorem.

46. *Conditio furtiva datur vero vel quasi domino, ejusque heredibus, contra furem tantum, ejusque heredem in solidum, non deductis expensis, licet nihil ad eos pervenit.*

47. *Peritur hac actione res ipsa si extat, cum omni interesse, juramento in litem dato. Si non extat, ejus aestimatio, quanti eo anno plurimi fuit.*

48. *Actio furti datur omnibus iis, quorum ex honesta causa interest rem non fuisse subtractam, contra furem tantum, non contra ejus heredes. Est enim mera poenalis; poena autem manent penes suos authores.*

49. *Recte tamen hac denegatur furi, cui res, quam ipse surripuerat, furto vicissim est sublata.*

50. *Agitur autem hac actione & civiliter, & criminaliter. Civiliter ad poenam quadrupli, si furtum est Manifestum, dupli vero, si est nec manifestum.*

51. *Criminaliter agitur hodie ex Constitutione Caroli V. ad poenam strangulationis, idque si furtum ter sit iteratum, & res furtiva excedat s. solidos aureos.*

52. *Nec attenditur, an in uno vel diversis territorii delictum sit perpetratum, ut nec poena in uno loco imposita, alterius delicti impunitatem adfert.*

53. *Hoc loco quari solet, cum tria parva furta ultimum supplicium importent, an etiam hoc verum sit de uno magno? **AB** quod videtur esse ut affirmari possit.*

54. *Ultimo hic etiam disceptatur, an res furtiva fisco sit applicanda, an vero vero domino sit restituenda? ultimum utri aequum ita & juri maxime consonum esse statuimus.*

55. *Hinc statuta municipalia contrarium suadentia, cum expresse sint contra rationem, omnino sunt rejicienda.*

56. *Quid enim aequitati, justitiaeque magis contrarium, quam virum bonum ob alterius delictum suis bonis defraudari.*

57. *Nec etiam bonae fidei emptor, rem furtivam recte recipere po-*

nerere potest, quacumq; etiam usus fuerit protestatione: habet tamen regressum ad venditorem.

58. Si verò mala fide rem furtivam emerit, resque inferierit, adhuc aestimationis petitio adversus eum superest.

2. Rapina

59. Altera privatorum delictorum species succedit, videlicet Rapina, quæ est delictum quo quis alicui invito, cujus interest, rem per vim rapit.

60. Rapina etiam species est furti nec Manifesti, ac improbius, teste J Cro Plpiano, proinde & ab his personis, & in iis rebus, in quibus furtum, etiam Rapina committitur, idq; animo doloso.

61. Hoc tamen differt à furto nec Manifesto, quod hæc fiat vi; hinc etiam specialis in eam à Prætoribus constituta est actio, quæ dicitur vi bonorum raptorum, & est intra annum ad quadruplum, post annum verò ad simplum.

62. Est autem hæc actio mixta, siquidem continet etiam rem ipsam, quam pœnam delicti, & competit etiam ei, cujus interest, rem non esse raptam, licet Dominus non sit.

63. Conceditur contra eum, qui dolo malo rem rapuit in solidum, contra heredes verò in tantum, quantum ad eos pervenit, nisi conditione furtiva agat.

64. Si quis errore ductus, rem suam esse existimans, imprudens jure eo animo rapuit, quasi domino liceat etiam per vim rem suam auferre etiam à possessoribus, nec hæc, nec furti actione tenetur, quam vis Imp. constitutionibus puniatur.

65. Præterea etiam Raptor actione furti nec Manifesti conveniri potest. Nam si fuerit raptor Manifestus, actione furti Manifesti tantum, non etiam actione vi bonorum raptorum tenetur.

66. Hodie in raptorem pœna gladij est constituta; quod & de consuetudine passim observatur.

67. Hic

67. Hic aptè & illa ventilatur quaestio. An Principes ad custodiam suorum territoriorum eatenus teneantur, ut ad damnum à raptoribus illatum obligati sint transeuntibus. A.

68. Inter privata delicta tertium locum obtinet, Damnum injuriâ datum, quod est delictum, quo quis dolo, culpâ vel injuriâ servum aut quadrupedem alterius occidit, vulneravit, vel aliqui res eius læsit, fregit, ussit aut rupit.

3. Damnum injuriâ factum.

69. Injuriam hinc accipimus non pro contumelia quadam seu calumnia, sed pro eo quod non jure fit, id est, quod fit dolo vel culpâ aliquâ, etiam levissimâ.

70. Hinc miles, qui in alio quam ad id destinato loco jaculis ludens, quempiam lædit, hac lege tenetur, ut & putator prope viam publicam vicinalem arbores putans, si non tempestivâ proclamaverit, dum ramum dejecit.

71. Si tamen casu fortuito quis damnum dederit, merito excusatur, cum casus fortuitus humanâ prævidentiâ prævideri non possit.

72. Quare si navis fune rupto, aut cum à nullo regeretur, incurrendo damnum dederit, eo nomine in dominum actio danda non erit.

73. Qui in certamine publico aliquem læsit aut occidit, an penam legis huius incurrat, dubitatur? Certè cum hic non injuriæ sed virtutis causâ damnum det, merito excusatur.

74. Culpæ huic etiam imperitia, infirmitas & negligentia adnumerantur, item si quis in eo, quod facit, modum excedat.

75. Hinc si Medicus vel Chirirurgus imperitè hominem secuerit vel curaverit, pro damno resarciendo conveniri potest: idem obtinet, si curationem dereliquerit, & ob id homo mortuus fuerit.

76. Similiter si eques ob imbecillitatem & imperitiam damnum dederit, ex eo tenetur, cum nemo affectare debeat illud, in quo intelligit suam infirmitatem.

B

77. Pro

77. Procedit & hoc in Iudice, Adfessore, Doctore & Advoca-
tato, qui ob imperitiam res sibi demandatas non rectè ad-
ministrare possunt.

78. Vindicatur autem hoc damnum ex lege Aquilia, quæ est
Plebiscitum ab Aquilio Tribuno plebis rogatum.

79. Habuit hæc lex olim tria capita, ex quibus medio sub-
lato duo saltem remanserunt, primum videlicet & ultimum.

80. Ex primo capite puniuntur hi, qui servum servam aut
quadrupedem injuriâ occiderunt, si ve id fecerint gladio, suste,
manu, aut quocunq; modo.

81. Damnatur autem delinquens ad hoc, quanti res eo anno
plurimi fuerit, cui damnum datum est.

82. Ex tertio capite puniuntur, qui aliud aliquod animal,
non pecudem occiderunt, vulnerarunt, aut alio aliquo modo
quid læserunt.

83. Hi quanti ea res proximis triginta diebus plurimi fue-
rit, domino dare tenentur.

84. Generatim tamen æstimatio damni dati, ad commune
judicium redigenda est: licet in eam omnes expensæ, ratione
læsionis factæ, cum operis cessantibus & impeditis veniant.

85. Porro hic observandum, tripliciter ex hac lege agi:
Aut enim corpore suo quis in corpus damnum dedit: & com-
perit actio directa, ex ipsis verbis legis descendens & datur so-
li domino.

86. Aut quis non corpore aut manu sua, sed occasionem da-
mni in corpus dedit, & datur actio utilis, non ex verbis legis,
sed ex mente eius & interpretatione descendens.

87. Hæc datur omnibus iis, quibus jus aliquod in re consti-
tutum est, vel quorū alio quovis modo interest adversus eum,
qui non suo corpore, sed tantum in corpus damnum dedit.

88. Aut denique damnum datum est non in corpus, sed
alio aliquo modo: & hac ratione deficit actio tam utilis quàm
directa.

directa. Datur ergò à Pratorè actio in factum accommodata legi Aquilia.

89. *Reliqua est injuria quarta privatorum delictorum species. Nomen injuriæ hîc accipitur pro contumelia, & definitur rectè quod sit delictum, dolo malo, re vel verbis in liberi hominis contumeliam commissum.*

90. *Facere possunt injuriam, quicumq; doli sunt capaces, sive id faciant per se, sive per alium, sive præsentes, sive absentes, dum tamen habeant animum injuriandi.*

91. *Ab iis verò, qui doli non sunt capaces, ut sunt furiosi, infantes, pupilli, item bruta animantia, injuria illata esse non censetur.*

92. *Furiosus tamen ab injuria atrociori ante furorem facta, ob furorem supervenientem non excusatur.*

93. *Ebrius verbis injuriosis aliquem afficiens, injuriam fecisse non dicitur, si discussâ vinolentiâ ipsum facti pœniteat, secus in reali injuriâ, cum culpa casum præcedat.*

94. *Idem obtinet in iis, qui irâ vehementiori commoti verba injuriosa proferunt, dum tamen animo postea sedata ea revocent.*

95. *Ceterùm cum omnis injuria fiat animo injuriandi sequitur eum, qui alterum invidus, seu jocosè, aut in certamine percusserit, ex eo non teneri.*

96. *Vt nec parentes, præceptores aut cognati, corrigendi gratiâ suis aliquid dicentes facientesve, injuriam committunt.*

97. *Magistratus pro officio jurisdictionis suæ subditos castigantes, ut & apparitores jussu Magistratus aliquem in carcerem ire cogentes hac actione conveniri nequeunt.*

98. *Hîc controversitur, an judex injustè aliquem in carcerem committens, teneatur actione injuriarum? A.*

99. *Quemadmodùm & qui injustè & indebitè aliquem cor-*

mentis subjicit, aut in torquendo modum excedit, rectè poenà dignus censetur.

100. Afficiuntur autem injuriã omnes, siue doli sint capaces, siue non, siue sint presentes, siue absentes, siue vigilantes, siue dormientes, vel cuiuscunque conditionis sint, modò sint homines liberi.

101. Et patiuntur, vel immediatè, vel mediatè, Immediatè, quando ipsimet directè contumeliã quãdam afficiuntur.

102. Mediatè, quando in consequentiam per alias personas, & sic indirectè quis læditur.

103. Et hoc quandoq; fit per familiam, veluti cum servus atroci injuriã afficitur, aut materfamilias, aut liberi in potestate existentes, læduntur.

104. Sed & per sponsam injuria inferri potest, si nimirum injurians scivit, eam sponsam alicuius esse.

105. Aliquandò etiam fit per consanguineos; cum injuria uni ex consanguineis illata, omnibus facta esse censetur.

106. Hinc propinqui nec ad testimonium, nec ad sententiam ferendam admittuntur, sed potiùs actione ad vindicandam injuriam donantur.

107. Porrò dum omnis injuria aut Re fit, aut Verbis: injuria quaedam realis, quaedam verbalis est, & utraq; in atrocem dividitur & levem.

108. Realis injuria fit, quando manus inferuntur, vel alio quodam facto contumeliã quis afficitur. Et hoc fit, aut in corpus, aut extra corpus.

109. In corpus: cum quis pulsatur, verberatur, aut læditur, siue id fiat fustibus, siue pugno, dum tamen fiat, eo invito. Nam qui volens alapam accepit, injuriarum agere non potest.

110. Item si quis simo corrupto, aquã, aut luto contumeliòsè commaculetur.

111. Fit & injuria in corpus, si quis stuprum alicui inferat, aut stu-

aut stupri causa in aliquam irruat, vel etiam honesta matronæ aut virginis pudicitiam attentaverit.

112. *Extra corpus:* si domus alicuius introatur, aut si alterius bona, qui nihil debebat, tamquam debitoris possessa fuerint, vel si quis iniquè, & nullo jure ea detinuerit aut arreſta verit.

113. *Aut etiam si quis ad contumeliam alicuius veste lugubri aut aliâ usus fuerit, linguam exeruerit, naso aliquem susponderit, vel aliâ quacunq; contumeliâ affecerit.*

114. *Verbis injuria fit, quoties quis conviciis proſcinditur. Unde & convicium à concitatione vocum, quasi convocium, hac injuria dicta est.*

115. *Et fit vel dictis, vel scriptis. Dictis, cum quis verbis naturâ suâ iniuriosis bonisq; morib. contrariis aliquem laceſit.*

116. *Veluti si quis alterum scelestum, furem, latronem, raptorem aut adulterum appella verit, vel aliud aliquod crimen ei objecerit.*

117. *Vel si quis excipiat contra testes in judicio, quod sine infames, delatores, falsarij, &c. idq; non prober, hac actione tenetur.*

118. *Atq; dubitatur, an verum crimen alicui objiciens, conveniri poſſit? Et distinguimus. Vel enim expedit Reipubl. hoc vitium detegi, & conveniri non poteſt, vel non expedit & rectè convenitur.*

119. *Sicut & questionis est, an qui præmiſſâ protestatione, scelestum aliquem nominaverit, excusari poſſit? Quod negamus. Cum protestatio actui contraria nihil operetur.*

120. *Qui mentiri quem dixerit, licet mentiatur, conveniri poteſt, cum mendacium arguat dolum proferentis. Secus si ipsum falsum protuliſſe dicat.*

121. *Si tamen quis falsum crimen sibi objicienti: dicat tu mentiris, vel tu mentiris, ut fur, ut scelestus, rectè excusatur.*

122. Sed qui se furem aut latronem dicenti respondet, tu fur, tu latro, æquè injurianti tenetur atq; injurians ipsi.
123. Scriptis injuria committitur, veluti famosis libellis, qui sunt scripturæ in alterius contumeliam compositæ vel sparsæ.
124. Huc rectè referuntur carmina, historia, Epigrammata et picturæ famosæ in alterius contumeliam factæ.
125. Puniuntur ob libellum famosum, non solum authores eius, sed & quicumq; in vulgus sparserunt, aut per alium distribui curaverunt, itemq; qui invenerunt, & non statim corruerunt, sed dolosè manifestarunt.
126. Agitur ex injuriâ hodiè tam civiliter quàm criminaliter. *Civiliter:* cum actor injuriam ad animum revocata[m] jurejurando æstimat, sibiq; pœnam applicari petit.
127. *Criminaliter:* quando actor simpliciter nulla æstimatione injuria facta, iniuriantem in corpore puniri petit, aut pœnam fisco applicari. (*Pœna famosi libelli est capitális.*)
128. Vnâ tamen ex his actionibus intentata, cessat altera. Cum utraq; tendat ad vindictam.
129. Agitur præterea ad Palinodiam, quæ actio, cum civilis sit, rectè cum actione injuriarum cumulari potest.
130. Ob honorem & existimationem læsam conceditur etiã actio ex L. Diffamari, quæ in hoc differt ab actione iniuriarum, quod injurians ab injuriato conveniatur in suo foro, diffamans verò in foro diffamati.
131. Tolluntur actiones injuriarum morte tam injuriantis quàm injuriati, & injuriati, si lis nondum fuerit contestata.
132. Item transactione, pacto, sicut & jurejurando, quo reus se purgare debet, quod planè non fecerit aut non fecerit animo injuriandi.
133. Dissimulatione quoq; injuria extinguitur, si cum adversario fuerit locutus, luserit, comederit.

134. Deniq̄ actio Prætoria ex injuriis descendens, tollitur
unius anni præscriptione. Actio verò L. Cornelia, 30. an-
norum spatio præscribitur.



Coroll. I.

An fur rupto laqueo de patibulo in terram de-
cidens, denuò sit suspendendus?

II.

An damnatus ad mortem puellæ cum in matri-
monium petenti rectè concedatur?

III.


An conductor domino ædium de incendio te-
neatur?

IIII.

An sacerdos pro concione aliquem verbis inju-
riosis afficiens ex eo teneatur?

FINIS.





aut stupri causa in aliquam irruat, vel etiam h
aut virginis pudicitiam attentaverit.

112. Extra corpus: si domus alicuius intro
terius bona, qui nihil debebat, tamquam debitor
rint, vel si quis iniquè, & nullo jure ea detinue
verit.

113. Aut etiam si quis ad contumeliam alic
bri aut aliâ usus fuerit, linguam exeruerit, n
spenderit, vel aliâ quacunq, contumeliâ affecerit.

114. Verbis injuria fit, quoties quis convict
Vnde & convicium à concitatione vocum, quasi
injuria dicta est.

115. Et fit vel dictis, vel scriptis. Dictis,
naturâ suâ iniuriosis bonisq, morib. contrariis a

116. Veluti si quis alterum scelestum, fur
raptorem aut adulterum appellaverit, vel ali
men ei objecerit.

117. Vel si quis excipiat contra testes in ju
infames, delatores, falsarij, &c. idq, non probe
netur.

118. Atq, dubitatur, an verum crimen alic
veniri possit? Et distinguimus. Vel enim expe
ritium detegi, & conveniri non potest, vel no
tè convenitur.

119. Sicut & questionis est, an qui præmis
scelestum aliquem nominaverit, excusari poss
mus. Cum protestatio actui contraria nihil oper

120. Qui mentiri quem dixerit, licet ment
potest, cum mendacium arguat dolum profen
ipsum falsum protulisse dicat.

121. Si tamen quis falsum crimen sibi obju
mentiris, vel tu mentiris, ut fur, ut scelestus, re

B 3

